



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæstio 1. An hinc operu[m] merita colligantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

seruare se posse, & tamen sectarii clauis illis, potestatemque etiam nequitiam professis, non eripiunt. Peccatum enim potestate Ecclesiastica non priuat, multo minus futuram impedit.

§. 4. Quod ait scandalum sibi esse, non de effectu, sed causa loquitur: quantum enim in se erat, Petrus hoc efficere moliebatur, ne Christus mori vellet. Christus facessere iubet, non tamen, ut Orig. habet, Matth. & Comment. Hieronymi sequi se iubet, hoc est, imitari. Porro quod Magdeburgenses horrendum Petri lapsum hic notarunt, aliter visum est aliis. Errat sensu non affectu; Eodem pertinet, quod est apud Luth. lib. 4. cap. 7. de potest. Papæ. Si omnia, quæ de Petro dicuntur etiam de Papa dicantur. Papa Satanas erit. Nam quæ personalia sunt, de solo Petro, quæ ad officium pertinent, de Papa etiam dicuntur.

VERSVS 24.

Tunc Iesus dixit discipulis suis. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

QVÆSTIO I.

Quid abnegare seipsum?

§. 1. Seipsum abnegare est id repudiare, in quod natura vitiosa propendet, nihil sui, omnia Dei causa facere, omnia grauius, adeoque crucem Dei causa ferre. Crucis autem nomine omnia pœnarum genera & contumeliarum intelliguntur. Beza abdicare maluit dicere, sed hoc minus larè patet. Syrus, Abneget animam suam, seu de anima sua. De abnegatione sui quod est perfectum opus Christiani, multi passim libri pij, & tractatus conscripti sunt.

Volentibus
crucem im-
ponit.

Inuitat volentes, quamuis ille quoque det voluntatem; itaque recte Chrysostom. hinc liberum arbitrium confirmat. Non enim crucem inuitis imponit; sed volentibus offert, & ut velint gratiam præstat, non cogentem non violentam, sed suauiter, & suæ iacturæ libertatis inclinantem.

VERSVS 25.

Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdidit animam suam propter me, inueniet eam.

QVÆSTIO I.

Quid inuenire & perdere animam suam?

§. 1. Perdere animam est vitam Dei causa impendere: quod non est proprie perdere, sed hominum opinione amittere. Inuenire est seipsum lucrificare, seu vitam æternam adipisci. Similitudo videtur esse à seminante: quod seminatur, abiici videtur & perire, sed magno fenore redit, quod vero recondi videtur, non modo sterile permanet sed etiam rannatur abiici dem perit. Notandum est Græcum *ἐν τῷ κόσμῳ* etiam de illis dici, quæ labore comparantur. Ut Vlpianus in oratione Demosthenis, contra Timocratem notauit, ut sciamus, in æterna vita laboris etiam nostri esse precium, & recompensationem, quod qui negant omnes virtutis neruos incidunt.

VERSVS 26.

Quid enim prodest homini, si mundum uniuersum lucretur, animam vero suam detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?

QVÆSTIO I.

Quanta anima præstantia?

§. 1. Christus eam toti mundo, hoc est opibus, imperiis, honoribus, voluptatibus præfert. Nihil enim prodest totius mundi lucrum, si anima sua, siue seipso homo mulctetur. Quod iudicium est penas resposcentium. Quorsum enim vitæ bonæ cui vita tollitur. Syrus: quid homo lucratur si uniuersum mundum possideat. Ratio adiungitur quia non potest dare commutationem *ἀντίδοτον* pro anima sua, agrum pro agro, aurum pro cibo dare potest. Pro anima compensationem dare nullam potest. Illa enim perdendo, & seipsum abnegando seruatur.

VERSVS 27.

Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis: & tunc reddet unicuique secundum opera eius.

QVÆSTIO I.

An hinc operum merita colligantur?

§. 1. Contra mercedem, quam bene operantibus Christus promittit disputat Caluinus lib. 4. Instit. cap. 18. §. 1. Verum omnia hic fidem orthodoxam confirmant. Probant enim eos, qui animam seruare volunt eam perdituros, qui perdere, seruatos. Nam filius hominis reddet illis, *ἅντιν ἕκαστος* secundum praxim, qua vel abnegauerunt, vel seruare voluerunt. Deinde quia ipse dabit *ἀντίδοτον* recompensationem, pro anima perditâ: & pœnam pro seruata. Quanto cum honore id futurum sit à circumstantiâ exponit, venturum in gloria patris cum angelis suis, quædam exemplaria addunt, *ἀγαθὸν ἁγίοις*, quod etiam Syrus habet, verum de similibus locis iam alias dictum est.

VERSVS 28.

Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.

QVÆSTIO I.

Quid Regnum Dei?

§. 1. Cum præmio virtutis proposito ad tollendam crucem eos esset exhortatus, ne illud incertum aut lon-